

rationes, Doctores, Collega, & ceteri particulares Communitatum, Civitatum, Universitatum, & Collegiorum tenentur antecessorum juramenta, servare, non quidem quantenus sunt juramenta, sed quantenus sunt pacta licita, & valida in consuetudinis justæ, Legis, vel alio simili modo, ut ait *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 31. n. 13.* Et minor pars Communitatis juramentum à majori parte factum servare tenetur: imò & ad jurandum potest cogi, quia tenetur se majori parti conformare, ac sequi ejus suffragia, & conventionem. *D. T. 2. q. 98. art. 2. ad 4. ibi. Dicendum, quod quia juramentum est actio personalis, ille, qui de novo fit civis alicujus Civitatis non obligatur quasi juramento ad servanda illa, quæ Civitas se servaturam juravit. Tamen tenetur, ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut sicut sit socius honorum Civitatis, sic etiam fiat particeps onerum. Canonici verò, qui jurat, se servaturam statuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex juramento ad servandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia statuta præterita, & futura: tenetur tamen ea servare ex ipsa vi statutorum, quæ habent coactivam virtutem. Latus. *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 31. ex n. 9.* Si verò juramentum non servatur à majori parte Civitatis, vel Communitatis non videntur alii teneri, nec pro tali casu censentur se voluisse obligare. *Sa. V. Juramentum, n. 25.* ille equidem, qui jurat statuta Civitatis, Universitatis, vel Collegii, Confraternitatis, vel alterius Communitatis solum tenetur, etiam vi juramenti ea servare eo modo, quo ipsa statuta obligant, ita, ut si statuta solum ad poenam obligent, solum ad poenam obliget juramentum si statuta ad culpam gravem, vel levem obligent, ad eandem obliget juramentum. *Cl. 1. de V. S.* Nam hoc interpretatur juxta naturam actus, cui accedit. *L. fin. C. de Non numer. pecun. Et ibid. Gothofr. c. 25. h. t.* Et hoc solum modo obligantur Doctores, & Academici, quando aliquid ipsis injungitur à Rectore sub poena præstiti juramenti. *Mendo de Jure Academico, lib. 2. q. 13. ex n. 110. Sancho. in Decal. lib. 3. cap. 14. n. 2.* At verò ille, qui, juravit aliquid facere, & in quo est radicata personalis obligatio juramenti, vi illius tenetur hæredibus, & successoribus ejus, cui juratum est. *c. 14. h. t. l. 9. ff. de Probation. Suar. de Juram. lib. 2. cap. 31. n. 14.* Hinc, qui obedientiam, vel fidelitatem juravit alicui in officio, vel dignitate constituto, non solum sub nomine appellativo dignitatis, vel of-*

ficii, sed expresso nomine personæ tenetur fidelitatem, & obedientiam præstare omnibus successoribus in dignitate, vel officio, etiamsi antecessor vivat, si resignavit, vel à dignitate, vel officio fuit remotus. *c. 34. in fin. de Elect. siquidem juramentum potius sit ratione dignitatis quam numquam moritur, quam personæ: ac proinde ad succedentes in eam transit. c. 5. de Rescript. in 6.* Nec est necesse juramentum apud præstorem renovare: de novo tamen sæpè præstatur ob majorem firmitatem, securitatem, & solemnitatem. Etiam per Procuratorem potest quis facere juramentum, & per ipsum obligari, sicut potest per se jurare, & obligari. *c. 68. de Reg. jur. in 6. ibi: Potest qui super alium quod potest facere per se ipsum.* Sicut potest quis per Procuratorem matrimonium contrahere. *fin. de Procurat. in 6.* At verò ut Procurator, possit nomine alterius juramentum præstare debet esse instructus speciali mandato, nec enim sufficit generale mandatum. *c. 4. D. 100. c. 3. de Juram. calumnia in 6. Imò & aliquando, nec speciale mandatum sufficit: quando scilicet jus exigit, quod in persona propria fiat, quale est juramentum, quod testes præstant in judicio de dicenda veritate. *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 31. ex n. 3.**

216 Juramentum, quantumvis absolutum appareat, quoad corticem verborum, regulariter in se imbibit has conditiones. 1. si res in eodem statu permanserit. *c. 14. 22. q. 2. l. 38. ff. de Solution. hoc est: nisi talis mutatio fiat, ut non sit verisimile, jurantem se obligare pro tali casu voluisse. Nec enim tenetur quis juramento; quando notabilis mutatio rei contingit. *L. 38. ff. de Solution. ibi: Cum quis sibi, aut Titio dari stipulatus est, magis esse ait, ut ita demum reitè Titio solvi dicendum sit, si in eodem statu maneat, quo fuit, cum stipulatio interponeretur.* Sic sponsalia etiam jurata non tenent, si fornicetur sponsa, vel notabiliter deformis efficiatur. *c. 25. h. t.* vel si qui ea juravit, velit ingredi Religionem: nam solum promissa, & jurata censentur sub hac tacita conditione, *c. 2. c. 7. de Convers. conjugat. 2. conditio in juramento implicita est, si alter servet fidem. fides enim non debetur frangenti fidem. c. 3. c. 29. §. 1. h. t. l. 21. C. de Pænis, l. 28. tit. 11. p. 3. ibi. Sin todo esto devimos aun, que qualquier que ponga pleyto con otro por jura, que si aquel con quien lo puso lo quebrantare primero, que es escusado de no caer en perjuro, maguer**

non

non la guarda. Cà non es derecho que sea guardado pleyto, nin jurar aquel que primeramente lo quebrantare. Hoc quippe videtur ad propriam defensionem pertinere, quasi vim vi repellendo, ut quidam Poeta considerabat: *Judice me, fraus est concessa repellere fraudem, armaque in armatos sumere jura sinunt.* 3. conditio inclusa est: si superiori, vel tertio non sequatur aliquod præjudicium, seu salvo illorum jure, vel nisi Superior dispenset. *c. 19. h. t. arg. c. 5. de Voto, & vot. L. 27. tit. 11. p. 3. 4. si is, cui juratum est non remittat juramentum. c. 2. de Spons. L. 27. tit. 11. p. 3. quia quilibet potest pro suo arbitrio, & sine causa suo juri renuntiare, L. 29. C. de Pænis. Denique, & præcipue semper in juramento subintelligitur: *Si potuero non solum potentia facti, cum impossibile nulla sit obligatio. L. 185. ff. de Reg. jur. c. 6. eod. in 6. l. 27. tit. 11. p. 3.* sed etiam potentia juris, seu morali, hoc est, quod licitè, & de jure fieri possit. *D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 2. ad 1. ibi. Ille, qui jurat, se facturum aliquid illicitum jurando incurrit perjurium propter defectum justitiæ: sed si non impleat; quod juravit in hoc perjurium non incurrit, quia hoc non erat tale quid, quod sub juramento cadere posset. Et merito quidem: nam non est obligatorum juramentum contra bonos mores præstitum. *c. 58. de Reg. jur. in 6.* Sic igitur impossibile censetur: quod Jure Naturali, Divino, Canonico, vel etiam Civili est prohibitum, vel si quomodocumque vergat in salutis eternæ dispendium. *c. 28. h. t. L. 27. tit. 11. p. 3.* Sicque nullius roboris est juramentum de homicidio faciundo, vel juramentum cedens in dedecus Principis, vel Patriæ, & præcipue in detrimentum animæ. *c. 5. 22. q. 4. L. 11. tit. 11. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. vel si cedat in præjudicium boni publici: ut si invitet ad liberius delinquendum, v. gr. si promittatur impunitas criminibus. *c. 35. de Sment. excom. L. 51. §. fin. ff. ad Leg. Aquil. vel si maritus uxori juravit, quod non sit illam accusaturus de adulterio, vel alio crimine. *c. 25. §. Illud, h. t.* vel si Religiosus jurat, se non permansurum in Monasterio suæ professionis. *c. 13. h. t.* vel si filius juret, se non exibere reverentiam, vel subsidia vitæ necessaria parentibus in necessitate constitutis. *c. 12. §. Illi, h. t.* vel si juret Prælati, se non repetiturum res suæ Ecclesiæ injustè ablatas. *c. 2. h. t.* Si verò Prælati propriis rebus spoliatus metu jurasset, eas non repetiturum, juramentum servare tenere-****

tur. *c. 8. h. t.* Nec valet juramentum, quo Vasallus jurat fidelitatem, & obedientiam sui Principis hosti. *c. 22. h. t.* quia, utpotè illicitum non obligat: & debet suo Principi obedientiam, & fidelitatem servare. Sic cum aliquis jurat, se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio: si scilicet, id quod ei mandatur, licitum sit, & honestum; & portabile, sive moderatum: In his, & similibus casibus juramentum factum non valet, ac consequenter non obligat, quippe juramentum, quod est inducendum, ut sit vinculum religionis firmissimum, non debet ex hominum malitia vinculum fieri iniquitatis. *c. 18. h. t. L. 27. tit. 11. p. 3. D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 2. Latè Suar. de Juram. lib. 2. cap. 34.*

217 Similiter juramentum Principis de conservanda moneta, quam scit in legitimo pondere defectum habere, utpotè illicitum non est servandum. Si verò cum juravit nesciebat, monetam esse falsam, vel viciatam servare debet juramentum eo modo, quo possit, scilicet substituendo aliam, monetam legitimam, vel aliud æquivalens. *c. 18. h. t.* Similiter juramentum Regis de non repetendis bonis, & juribus ad coronam pertinentibus, non valet; nec item valet alienatio, etiam jurata talium bonorum, cum cedat in detrimentum, & diminutionem Regni. Et idem est de Prælato Ecclesiastico dicendum, si alienet, etiam cum juramento de non repetendo, bona suæ Ecclesiæ. *c. 33. h. t. L. 28. tit. 11. p. 3.* Item juramentum Patronis factum de pensione antiqua augenda non obligat. *c. 11. h. t.* quia licet Patronus, quando aliquam Ecclesiam ædificat, reservare possit aliquam pensionem sibi solvendam cum consensu Episcopi. *c. 23. de Jure Patron.* postea tamen nihil exigere potest ab Ecclesia, nec augere pensionem. *c. 7. de Censib.* Præterea juramentum, quod Prælati juravit servare aliqua quæ cedunt in præjudicium Prælati, aut dignitatis non obligat. *c. 27. h. t.* Nec item obligat juramentum de re aliqua sub secreto sibi commissa non revelanda, si legitime à Judice interrogetur, quando in testem producitur: Nam in juramento intelligitur jus Superioris exceptum. *c. 19. h. t.* Nec valet juramentum factum à conjugibus de non petendo sibi ad invicem, nec reddendo debito, si non amore pietatis, & continentiæ sed potius ex odio, aut vindicta oriatur. *c. 24. h. t.* Si verò juramentum est impeditivum majoris boni, & tamen in favorem tertii fac-

tum

tum sit, v. gr. Juramentum dandi centum aureos alicui diviti, cum absolute posit sine peccato servari servandum est, etiam si per accidens majus bonum impediatur. *c. 28. h. t. c. 2. eod. in 6.* Si vero tale juramentum ad honorem, & cultum Dei factum sit, cum sit species voti quod est de meliori bono non obligat: ac proinde post juramentum de matrimonio contrahendo, potest quis religionem ingredi, vel castitatem servare. *Arg. c. 2. c. 7. de Convers. conjugat.* Nam ut dicitur in *c. 3. h. t.* Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2.* An vero idem sit, quoad commutationem de juramento homini facto dissentium DD. Dicendum tamen est, quod juramentum promissorium cadens in promissionem factam homini, si potest honeste impleri, obligat omnino ad sui observationem, nec potest in melius mutari cum nocimento creditoris, & ipso invito, nisi in his, quae ad statum perfectionis pertinent: siquidem promissio homini facta obligat in conscientia, ita ut sit contra justitiam, vel fidelitatem illam non implere, si impleri valeat. Nec potest quis excusari in conscientia ab observatione obligationis contractae praetextu commutandi rem promissam in opus magis pium: ac proinde, qui promisit dare centum aureos alicui diviti, non potest illam promissionem juratam non adimplere praetextu dandi illos aureos in elemosynam, licet hoc opus secundum se spectatum fortasse esset melius, & gratius Deo quam illa liberalis donatio. Et sic de aliis. *Ita Suar. de juram. lib. 2. cap. 12.* ubi plura afert, & objectionibus contrariis satisfacit. Et cum hac limitatione potest intelligi. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2.* licet ubi paulo generalius loquatur. Et hoc similiter modo est intelligenda generalis locutio, *Text. in cap. 3. h. t.*

218 Juramentum etenim quod non vergit in dispendium salutis aeternae, nec in tertii praedictum, omnino servandum est. *c. 28. h. t. c. 2. eod. in 6. L. 5. ff. h. t. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. in Corp. ibi: Respondeo dictum, quod obligatio refertur ad aliquid, quod est faciendum, vel dimittendum: unde non videtur respicere juramentum assertorium, quod est de praesenti, vel praeterito: Sicut autem juramentum, quod est de praeterito, praesenti debet habere veritatem, ita etiam, & juramentum de his, quae sunt scienda à nobis in futurum. Et ita utrumque juramentum habet quan-*

dam obligationem, diversimodè tamen: quia in juramento quod est de praeterito, vel praesenti obligatio est non respectu rei, quae jam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus jurandi, ut scilicet juret id quod jam verum est, vel fuit. Sed in juramento, quod praestatur de his, quae sunt scienda à nobis, obligatio cadit contra super rem, quam aliquis juramento firmavit: tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id, quod juravit: alioquin deest veritas juramento: Si verò sit quidem possibile fieri, sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impedivium, tunc juramento deest justitia: Et ideo juramentum non est servandum in eo casu, quod est peccatum, vel boni impedivium. Juramenti equidem religio apud omnium hominum sectas obligat. *L. 5. §. 1. ff. h. t. ibi: Divus Pius jure jurando quod propria superstitione juratum est, standum rescripsit.* Et notat ibidem Goshof. Nec enim aliud vinculum ita efficaciter inter homines invenitur ad eos adstringendos, fidem promissam servant: adeo, ut, & ipsi Dei Gentilitatis hoc vinculo ligari crederentur, ut ponderat Poeta loquendo de Phaebo, qui sic Phaeonti respondit: *Utinam promissa liceret, non dare! Confitor, solum hoc tibi, nate negarem.* Et postea: *Nec dubita, dabitur (stygias juravimus undas) quodcumque optaris.* Hinc est, quod valet, & obligat juramentum sine sufficienti causa utilitatis, vel necessitatis factum: sufficit enim, ut oriatur obligatio, quod possit sine peccato adimpleri à jurante, adeo ut etiamsi metu, injuria, dolo, vel errore versante circa qualitatem sit extortum, adhuc validum sit, & consequenter servandum. *c. 1. c. 6. c. 8. l. 15. h. t.* Siquidem juramentum adhuc metu, dolo, vel injuria extortum est simpliciter voluntarium, quamvis sit involuntarium secundum quid, ac proinde est verum juramentum, & consequenter producit obligationem, quae naturaliter ex juramento valido oritur, nec metus, nec injuria, nec dolo faciunt quod aliquid substantiale desit juramento ad ejus valorem, nisi forte dolo, vel errore versetur circa substantiam rei juratae: Nam tunc non tenet tale juramentum eo quod talis dolo, vel errore consensus tollat, sine quo nequit juramentum subsistere. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. ibi: In juramento, quod quis coactus facit duplex est obligatio: una quidem, quae obligatur homini, cui aliquid promittitur: & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur: alia autem est obliga-*

tio,

tio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promissit. Et talis obligatio non tollitur in foro conscientiae: quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare: potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Praelato denunciare, non obstante, quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra justitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absoluerunt, non quasi discernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes. Latissime Suar. de Juram. lib. 2. cap. 9. cap. 10. cap. 11. Hac ergo ratione valet juramentum, quo filia, accepta dote, jurat, quod non petet alia bona paterna. *C. 2. de Pañ. in 6.* Similiter valet juramentum, quo mulier jurat, se non revocaturam alienationem rei dotalis. *C. 28. h. t. c. 2. eod. in 6.* Idem est de juramento, quo quis juravit solvere usuras mutuanti. *C. 6. h. t.* Hoc enim juramentum servandum est: quia licet ex parte recipientis usuras turpe sit, non tamen ex parte jurantis: quippe eas solvere non est illicitum nec eas solvens cooperatur recipientis peccato, quia mutuum poterat absque usuris mutuans praestare, & qui mutuum petit, ex justa causa, & necessitate illud recipiendi excusatur. Sed cum usura fuerint solutae, creditores, qui eas receperunt, ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi, debitorque illas solvens potest repetere. *C. 6. h. t.* Nam cum tantum ex parte creditoris detur turpitudinis, locus est repetitioni ex parte debitoris. *L. 1. §. fin. ff. de Condit. ob turp. caus.*

219 Ex hoc usque dictis quasi manuducimur ad illam per celebrem quaestionem variis Doctorum placitis, quasi ventis oppositis undique agitatum: an scilicet juramentum confirmet contractum, Jure Positivo invalidum, cui accedit? In sensu quippe quaestionis non est confirmare contractum illum firmare, vel robotare quomodocumque: Nam hoc absdubio quodlibet juramentum facit, dum facit, illum contractum servare vi, & obligatione religionis, ex juramento orta: Tunc igitur juramentum in sensu controversiae contractum confirmat, quando contractus ex se nullam producit actionem, & accedente juramento, non solum producit obligationem religionis, quae est juramenti propria, & quam producit omne juramentum validum; sed insuper talis contractus producit obligationem justitiae qua-

Tom. I.

contrahens obligatur adimplere promissa. Uno verbo: an contractus, qui erat quasi mortuus, accedente juramento ita reviviscat quoad effectum, ut producat obligationem propriam contractus, ultra obligationem religionis, quam ex se producit juramentum? Pro cuius intelligentia, quadrupliciter potest considerari juramentum accedens contractui. 1. Respectu contractus, vel actus Jure Naturali invalidi: vel qui talis sit, ut sit illicitus, vel turpis, etiam Jure Civili, quia contra bonum commune est, vel qui cedat in tertii praedictum: Et tunc juramentum nullius roboris est, utpote de re illicita, ac proinde non obligat, quia non debet esse vinculum iniquitatis. *C. 18. h. t. 2.* Consideratur respectu contractus invalidi, vel saltem irritabilis de jure naturae, ita tamen, ut non sit illicitus, nec cedat in praedictum tertii. Et tunc valet juramentum, sed solum producit obligationem religionis erga Deum, ac proinde non confirmat contractum, nec parit obligationem civilem justitiae in judicio. Bene enim stat, juramentum obligare, & non obligare pactum, vel contractum, cui adjicitur, ut patet in promissione solvendi usuras, quae ex se non obligat promittentem, & juramentum tali promissione accedens ipsum promittentem ad eas solvendas obligat. *C. 6. h. t.* Hanc nempe vim tribuit juramentum, manente pacto sine vi 3. Consideratur respectu contractus omnino validi tam Jure Naturali, quam Civili. Et tunc juramentum non confirmat contractum; quia independentè à juramento habet contractus totam firmitatem civilem, quam potest habere, & obligationem justitiae producit, quid ergo illi addet juramentum? Addit tamen ipsi contractui novam obligationem religionis juramenti propriam, distinctam, & independentem à contractus obligatione: & eo sine adjicitur, ut si contrahens noluit timore justitiae, saltem timore perjurii adigatur, ut promissa adimpleat. 4. Consideratur juramentum respectu contractus, qui de Jure Positivo, sive Civili, sive Regio, sive Canonico est invalidus, & neque ex parte jurantis, nec illius, qui juratur, talis pactio turpitudinem continet: nec in praedictum boni publici, aut in damnum tertii cedat, licet sit in praedictum jurantis, quia juri in sui favorem principaliter introducto absdubio renuntiare valet, quamvis secundario tale jus bonum publicum respiciat: quia hoc omnibus Legibus est commune: Tunc enim

Vv jura

juramentum confirmat contractum: hoc est, ex tali juramento, non solum nascitur obligatio Religionis propria juramenti validi, sed insuper obligatio justitiæ, qua potest agi in judicio, perinde ac si contractus esset omnino Jure Positivo validus: quam quidem independentè à juramento nullo modo produceret contractus, & eam præcisè producit per accessionem juramenti, quæ semel producta ita contractui adheret, ut etiam si postea relaxetur juramentum, maneat obligatio justitiæ, quæ quidem ad hæredes transit, sicut alia jura, & onera defuncti. Et relaxatio solum deserviet ad hoc, ut sine sacrilegio possit quis agere contra id, quod juraverat, tanquam si nullum præcessisset juramentum; non tamen deservit, ut possit quis contra jus alterius agere. Talis autem relaxatio solum posset à Pontifice fieri, & quidem tantum ex causâ gravissima. Contractus ergo solum juramento instructus obligationem justitiæ producit, non quidem vi juramenti. Nam hoc ex se, solum obligationem Religionis, non verò justitiæ producere valet: provenit igitur obligatio justitiæ ex dispositione Legum Latorum, qui in reverentiam juramenti concedunt contractui firmitatem, & obligationem, qua ex se caret, & solum per appositionem juramenti acquirit. Et licet valor, & firmitas contractus à juramento, modo explicato, inducatur, non tamen pendet ejus conservatio à juramento, imò durat obligatio & firmitas contractus, etiamsi juramenti obligatio postea cesset. Hanc sententiam de confirmatione contractuum defendunt *Glos. in cap. 2. de Pænis in 6. V. Servari. Covar. ibid. p. 2. §. 1. n. 17. Suar. de Juram. lib. 2. cap. 28. & 29. Sanch. in Decal. lib. 3. cap. 12. n. 5. & 11. Gonz. in c. 28. h. t. n. 11. & alii, contra Jason, Anton. de Butrio, & alios, ita ut Alciat. in c. 28. h. t. dicat non constare, quænam istarum opinionum sit communior. Probatur tamen nostra concl. ex *Auth. Sacramenta puberum. C. Si adversus vendit. ibi: Sacramenta puberum spontè facta super contrahibus rerum suarum non retrahendis inviolabiliter custodiuntur. Et per hanc Legem est correctâ. L. 5. C. de Legib. ut ibid. vult Perez: vel illa inteligitur de contractibus, qui cedunt in tertii præjudicium, c. 28. h. t. ibi: Nos autem frat. tue taliter respondemus: quod etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat perjurii aperiri, mulieres ipsæ servare debent hujusmodi jura-**

*menta (de non revocanda alienatione rerum dotialium) sine vi, & dolo spontè præstita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ. Et ex ipsa exceptione à Pontifice apposita, scilicet, sine vi, & dolo spontè præstita infertur, quod non solum intendit Pontifex, quod valeat juramentum quatenus inducit obligationem Religionis, sed etiam ipse contractus quatenus debeat actionem civilem justitiæ producere: quia juramentum per se valet, quamvis contractus esset, metu extortus, produceretque obligationem Religionis. C. 8. c. 15. h. t. l. fin. tit. 11. p. 3. ergo de alia obligatione inducenda loquitur Pontifex, dum excipit, quod nec vi, nec dolo sit extortum juramentum; & hæc non est alia, quam obligatio justitiæ. Idem confirmatur ex C. 2. h. t. in 6. C. 2. de Pænis in 6. Et saltem de Jure nostro Hispano ita tenendum est. L. 16. tit. 11. p. 3. ibi: En algunas razones ha la jura mayor poderio, que el juicio: è esto seria, como si alguno, que fuesse mayor de catorce años, è menor de veinte y cinco ficiesse alguna postura, è pleito, è jurasse, que non venia contra ella, por razon que era de menor edad. Cè despues non la podria desatar, maguer mostrasse, que era fecha à d'adão, è menoscabo de si. Et expressius hoc deciditur in L. 12. tit. 1. lib. 4. R. C. ibi: Y asimismo nuestra voluntad no fue de quitar el juramento en los contratos, que para su validacion se requeria. Juramento ergo confirmantur contractus, qui alias de Jure Civili sunt invalidi: ut contractus à minori sine Curatoris autoritate celebratus, *Auth. Sacramenta puberum. C. Si adversus vendit. alienatio fundi dotialis, in quam consensus mulier. C. 28. h. t. C. 2. eod. in 6. pactum à filia patri factum, quod dote contenta nullum præterendit ad bona paterna recursum. C. 2. de Pænis in 6. donatio excedens 500. solidos sine insinuatione facta. Donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum: mutuatio filio familias facta cum ipsius renuntiatione S. C. Macedon. fidejussio mulieris, quæ S. C. Velljeano renuntiavit: promissio certam hæredem instituendi; & non revocandi testamentum: pactum de non utendo exceptione non numeratæ pecuniæ: promissio de solvenda pœna adjecta sponsalibus contra resistentem; & alia plura, quæ latè examinantur à *Gutierr. de Juram. confirm. à P. Onate, & aliis.***

220 Cum ergo juramentum tantam obtineat firmitatem, omnino servari oportet,

tet, nisi fortè ejus vinculum dissolvatur ab habente legitimam potestatem. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. in corp. ibi: Necessitas dispensationis, tam in lege, quam in voto est propter hoc quod id, quod in se, vel univèrsaliter consideratum est utile, & honestum, & secundum aliquem particularem eventum potest esse inhonestum, & nocivum, quod non potest cadere, nec sub lege, nec sub voto: quod autem aliquid sit inhonestum, vel nocivum repugnat his, quæ debent attendi in juramento: nam si sit inhonestum repugnat justitiæ; si sit nocivum repugnat iudicio. Et ideo pari ratione etiam in juramento dispensari potest. Et quidem juramentum Deo factum solum potest relaxari ab eo, qui in votis valet dispensare: juramentum tamen homini præstitum, quod non continet turpitudinem ex parte recipientis, nec enorme damnum, nec vi est extortum, solum potest à Romano Pontifice relaxari, si ille, cui juratum est, sit invitus, siquidem ipsi est jus acquisitum, quod certè sine injuria illi nequit auferri, nisi ob causam gravissimam, ob bonum publicum, & commune, & solum à Supremo in spiritualibus Principe. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3. Vel etiam aliquando ab Ordinario, si causa gravissima urgeat, & periculum sit in mora. Suar. de Juram. lib. 2. cap. 41. Si vero ex parte recipientis contineat juramentum turpitudinem, quia v. g. sit extortum per dolum, aut metum injustè incussum: vel si non potest servari sine enormi læsione, & gravissimo jurantis damno: quamvis tale juramentum ex se validum sit. C. 8. c. 15. h. t. l. fin. tit. 11. p. 3. Tamen potest Episcopus, & alii quasi Episcopalem jurisdictionem habentes illud relaxare. C. 2. de His, quæ vi. C. 8. h. t. C. 2. eod. in 6. quia cum nullum jus per tale juramentum sit acquisitum tertio solum ob reverentiam Dei servatur, ac proinde Prælati vices illius gerens relaxare potest tale juramentum. Et possunt similiter prædicti in casu dubio declarare, an tale juramentum obliget. Vel qui juravit potest petere, ut cogatur remittere juramentum, qui illud turpiter extorsit. Deinde, in L. 8. tit. 7. lib. 8. R. C. statuitur, ut qui perdidit in ludo etiam ex permisis, pecunia credita non teneatur illam solvere: ibi: Y si jugaren los dichos juegos à credito, è fiado, mandamos à las nuestras Justicias, que no condenen, ni excuten en tales personas: ni en sus bienes, ni de sus fiadores, lo que assi debieren de los dichos juegos à credito, è fiado: y por la presente damos por ningunas qualesquier**

obligaciones, escrituras, è promossas, que las tales personas, (quæcumque sint, & cujuslibet status, & conditionis) cerca de ello hicieren. Et quidem licet victus non teneatur victori solvere, quod ad creditum amittit si tamen sciens, se non teneri, libère, & voluntariè solvat, ille qui in ludo victor fuit potest pecuniam recipere, donec ab eo, qui solvit repetatur, & ita in praxi receptum esse testantur. *Salmanticensis traç. 14. cap. 4. n. 63. si verò ille, qui amittit juravit solvere. Sancho de Matrim. lib. 1. D. 32. n. 25. sustinuit, quod non poterat ab Episcopo relaxationem juramenti obtinere: neque juramento satisfaciebat momentanea solutione, & postea pecuniam repetendo. Sed in lib. 3. Decal. cap. 21. n. 10. ait: satis probabiliter dici posse, tale juramentum posse ab Episcopo relaxari, & illud impleri momentanea solutione: quod absolute tenent *Navarr. Gutierr. Aceved. & alii apud Sanchez de Matrim. lib. 1. D. 32. n. 24. Si verò quis per metum cogatur jurare ingredi Religionem, vel matrimonium contrahere: non est necessaria relaxatio: nam tale juramentum non valet; arg. c. 14. de Sponsal. l. fin. tit. 11. p. 3.**

221 Quando ad Episcopum pertinet relaxatio juramenti, si hæc petatur pro foro conscientie tantum, tunc relaxat Episcopus jurantis, qui quidem solus in foro interno habet jurisdictionem in eum. *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 41. n. 10. Si pro foro externo petatur relaxatio juramenti in ordine ad effectum agendi, vel petendi, recisionem juramenti, etiam ad Episcopum jurantis spectat, cum de vinculo conscientie agatur, quo jurans agere impeditur, nec est necesse citare eum, cui juratum est: quia non est grave præjudicium, quod ipsi sequitur. Si verò agatur de relaxando juramento ad effectum tollendi obligationem dandi, vel solvendi: quia agatur ad rescindendum contractum per dolum, vel metum injustè initum, petens, ut actor debet sequi forum illius, cui juratum est, quia ipse est reus. C. 8. de Foro compet. Siquidem tunc necesse est, citare adversarium ob grave damnum, & præjudicium, requiriturque causa cognitio: ac proinde relaxatio debet fieri ab Episcopo ejus, cui juratum est, nisi hic submittat, & proroget jurisdictionem Episcopi illius, qui juravit. Quod si contractus juratus sit initus extra Diocesim Episcopi jurantis, & illius, cui juratum est, cum contrahente sortiantur forum in loco contractus. C. fin. de Foro compet. Episc.*

copus illius Diocesis juramentum relaxavit, si ita expedire videat. Deinde, non solum prædicti valent juramenta relaxare, sed & ille, cui juramentum factum est: imo & præcipue ipse hoc potest facere; adeo ut pro suo arbitrio sine aliqua causa illud valeat relaxare: quod secus est in aliis. Quippe etiam si Pontifex relaxet, causa justa indiget, quia cum juramentum de jure Divino, obliget juxta illud. *Math. 5. v. 33. Reddēs Domino juramenta tua*, profectò est necessaria causa juxta ad dispensandum, nec aliter obligatio censetur à Deo remissa. Causa autem juxta ad illum relaxandum sunt hæc, si ratione materiæ detur in eo turpitudinem. *C. 1. h. t.* Si majus bonum occurrat faciendum. *C. 3. h. t.* Si dolo, aut metu sit extortum juramentum. *C. 8. c. 15. h. t.* Si temerè, & inconsideratè sit juratum. *C. 24. h. t.* & ut tollatur peccati periculum, & aliorum offensio: aliæque hujusmodi cause.

222 Princeps, vel Magistratus Sæcularis non potest directè relaxare juramentum, quatenus relaxatio dicit dispensationem, seu absolutionem, quæ directè tendit ad tollendum vinculum propter dubium ortum, an liceat, vel non liceat, juramentum observare, vel propter alias rationes pertinentes ad remissionem, quæ fit ex parte Dei potius, quam ex parte hominis creditoris. Hoc namque pertinet ad spirituales potestatem. *C. 18. h. t. C. 13. de Judic.* ubi juramentum absdubio ad iudicium Ecclesiæ dicitur pertinere: & merito nam juramentum est vinculum spirituale: Et in hoc sensu debent intelligi. *Covarr. Hostiens. Abb. & alii*, potest tamen Princeps, vel Magistratus Sæcularis relaxare indirectè juramenta, si relaxatio sumatur per modum condonationis factæ ex parte hominis, cui facta est promissio jurata: Nam tunc certè ille creditor etiam sine causa, sed pro suo arbitrio potest juranti remittere promissionem juratam. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2. ibi: Homo potest alteri promittere aliquid sub juramento dupliciter: uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius: puta si sub juramento promittat, se servitutum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promissione potest absolvere ille, cui promissio facta est: intelligitur enim jam ei soluisse promissum, quando facit de eo secundum ejus utilitatem.* Sic ergo potest Princeps, vel Magistratus Sæcularis bono publico exigente relaxare juramenta inter Laicos sibi Subditos, & in re temporali ad suum forum spectant, remittent-

do, scilicet juramentum loco illius, qui debet, & non vult remittere juramentum per injuriam extortum, seu faciendum condonationem debiti eminentiori modo, quam fieri potest per privatam personam, ad quam pertinet condonare. *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 41. n. 16. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 149. n. 12. & alii*, quinimò potest Supremus Princeps Sæcularis aliquem contractum ita infirmare, sic bono publico exigente, ut neque per juramentum confirmetur: Et bene quidem, nam juramentum non ex se, sed ex dispositione Legislatoris habet confirmare contractus invalidos: indè consequens est, quod deficiente Legislatoris voluntate, cesset, & confirmatio contractus; *arg. c. 60. de Appellat.* Et quod magis est, potest Princeps ita infirmare contractum, ut juramentum ipsi accedens nequidem obligationem religionis producat, reddendo scilicet subditum inhabilem ad acceptandum talem contractum: sine qua acceptatione juramentum promissorium, vel non obligat, vel intelligitur condonatum, & remissum. *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 41. n. 16.* quod præcipue in nostra Hispania tenendum est, & ita habetur, in *L. 11. tit. 1. lib. 4. R. C.* ibi: *Defendemos, que ningun Lego, Christiano, Judio, ni Mora, no haga obligacion en que se someta à la Jurisdiccion Ecclesiastica, ni haga juramento por la tal obligacion, junta, ni apartadamente, so las penas contenidas en las dichas Leyes, y que la obligacion no vala, ni haga fe, ni prueba: y mandamos à todas, y qualquier Justicias, que no la exeuten, ni hagan pagar: y defendemos, que Escrivano alguno no la reciba, ni signe la tal obligacion, ni juramento, si quiera se haga junta, ò apartadamente; so pena, que el Escrivano que la signare, pierda el oficio, y denle en adelante su Escritura no haga fe, ni prueba, y pierda la mitad de sus bienes, y de esto sea un tercio para quien lo acusare, y los dos tercios para la nuestra Camara.* Et postea in *L. 12. tit. 1. lib. 4. R. C.* ait Rex: *A los que nos querellaron: que generalmente la dicha Ley era contra la libertad, y Jurisdiccion Ecclesiastica, y que por ella se quitaba à los Jueces Ecclesiasticos el conocimiento de cosas, que de Derecho, y costumbre les pertenecia; y que nos suplicaban, que mandassemos revocar la dicha Ley. A esto respondemos, que la dicha Ley es justa, y se pudo bien hacer de derecho, y no es contra la libertad Ecclesiastica, ni por la dicha Ley se defiende (id est prohibetur) el juramento al Clerigo siendo uno de los*

*contrayentes, aunque el otro contrayente sea Lego.*

223 Juramento opponitur perjurium, quod definitur esse mendacium juramento firmatum: Nam cum finis juramenti sit confirmatio dicti humani, cum huic confirmationi opponatur falsitas, præcipue à falsitate specificatur perversitas juramenti, quæ perjurium dicitur: quod quidem peccatum est contra religionem: quippe ad irreverentiam Dei pertinet, quod aliquis eum testem invocet falsitatis: quia per hoc dat intelligere, quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testificari velit: Et hinc perjurium manifestè est peccatum religioni contrarium, cujus est Deo reverentiam exhibere: & cum hoc pertineat ad contemptum Dei est peccatum grave: adeo ut defectus veritatis, etiam quando quis joco se perjurat, etiam si in re minima consistat, est peccatum grave: cum major irreverentia tunc fiat. *D. Thom. 2. 2. q. 92. art. 1. 2. & 3.* Idem dicendum est de juramento promissorio: quia si deest adimplendi voluntas, etiam in re minima est peccatum grave: ac proindè si quis jurat facere rem, quam judicet impossibilem, gravitèr peccat, quia jurat sine animo implendi, & veritas deest: siquidem in juramento promissorio duplex veritas datur: una de presenti, quatenus jurans debet animum habere rem promissam, adimplendi: altera de futuro, quatenus suo tempore rem promissam adimplebit: & cum nulla detur differentia inter promissorium, & assertorium quoad primam veritatem, hinc est, quod pejerans defectu illius peccat gravitèr, etiam si materia sit parva, vel etiam si dubitet an facturus sit, necnè: & etiam si materia licita, vel illicita sit. Ex defectu tamen secundæ veritatis potest quis peccare tantum venialitèr: v. g. Si quis juravit non bibere vinum, & modicum bibat, tantum venialitèr peccat. Imò si rem modicam sub juramento promisit, tantum venialitèr peccat ob materiæ parvitatem, si juramentum non adimpleat: quamvis alii teneant, semper esse peccatum grave non adimplere promissionem juratam, licet ea in se sit parva, si tota omittatur. V. g. si nummus sit promissus sub juramento pro elemosyna. Vid. *Suar. de Jurament. lib. 3. cap. 16.* Juramentum de re gravitèr mala facienda est peccatum grave: si juret quis facere rem venialitèr malam peccatum veniale committit. Item si juret non facturum rem, quæ est ex consilio, vel ex charitate, vel ex misericor-

dia; vel non doctorum artem utilem. *Alloza in Sum. V. Juramentum, scilicet. 1.* Hinc, si materia jurata sit gravis, erit grave peccatum ex se non adimplere: è contra si sit levis, non adimplere erit veniale tantum: quia ille qui sic jurat, & non implet, nihil agit contra id, quod habet in mente: sed tantum contra fidelitatem: peccatum autem contra fidelitatem est leve ex parvitate materiæ. *Laor. lib. 3. p. 1. n. 305. Lug. & alii.* Qui male juravit non tenetur adimplere juramentum. *C. 5. 22. q. 4. ibi: In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vocisti, ne facias; impia enim est promissio, quæ scelerè adimpletur.* *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 1. ibi: Si quis juret, se facturum aliquod peccatum, & peccavit jurando, & peccat juramentum servando.* Perjurium quidem olim gravitèr puniebatur. *C. 18. 6. q. 1. ibi: Quicumque sciens pejeraverit: quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos peniteat.* Hoc pro foro interno erat statutum: pro foro tamen extraneo Laici perjury excommunicantur: Clerici non excommunicantur, sed deponuntur ab ordine suscepto. *Can. 24. Apostol. & infamiam incurrunt, ac proindè beneficiis Ecclesiasticis privantur.* *C. 11. h. t. Et ibid. Gonz. ex n. 6.* In nostra Hispania qui perjurium committunt, puniuntur poena falsi, & tenentur parti ad id quod causa perjury perdidit. *L. 26. tit. 11. p. 3. & infames fiunt, ac proindè ab omni Ordine Equestri, Collegiis, & Officiis S. Inquisitionis excluduntur.* *L. 10. tit. 1. lib. 1. R. C.* poena falsi est, quod testi falsum deponenti extrahatur quinta pars dentium: sed hodie ejus loco ad trirèmes damnatur in decennium, vel perpetuum pro qualitate causæ, & ad publicam ignominiam, & irrisionem in publicum exhibentur. *L. fin. tit. 17. lib. 8. R. C.* Et aliquando in criminalibus testis falsus poena talionis punitur. *L. 26. tit. 11. p. 3.* etiam poena capitali. *L. 83. Taur. 1. 4. tit. 17. lib. 8. R. C.* unde obiter inferes, perjurium commissum à Laico posse à Judice Ecclesiastico, & Sæculari puniri, quia est delictum mixti fori. *Gonz. in C. 11. h. t. n. 7. Hevia in Cyr. Philip. p. 3. §. 2. n. 3. Greg. Lop. Aceo. & alii.* Cum perjurium ex se malum, & peccatum sit, nemini licet alterius perjury cooperari, petendo juramentum ab eo, quem scit pejeraturum: attamen si hoc ex necessitate proprii juris tuendi, vel ratione officii fiat, ut in actore, & Judice contingit, hoc licitum est: sicut etiam licet à Gentili, qui

qui per falsos Deos est juraturus, juramentum petere: siquidem tales suo jure utuntur, & alteri ex sua malitia peccabunt *D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 8.* perjurus tamen non indiget in confessione explicare, an per Deum, vel Sanctos jurasset, quia malitia est ejusdem speciei, cum semper jurans intendat, Deum in testem adducere.

224. Ad materiæ complementum adjungam propositiones damnatas, ut eas tanquam conscientiarum scopulos vitare valeant, qui Theologia Moralis navigant mare. *Innoc. XI. die 2. Mart. an. 1679.* damnavit sequentes. 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propterquam velit, aut possit damnare hominem.* 25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* 26. *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.* 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis, à similibus solet exegi: non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.* Ab Innocent. etenim justè est damnatus usus restrictionis purè mentalis: quia verba significant non secundum usum præcisè proferentis, sed secundum usum communem: quia cæderet in præjudicium totius humani commercii, nec esset hæresis, nec blasphemia, quæ hoc modo non facilè excusaretur, ac proinde, nulla esset Lex, quæ non eluderetur. Tamen quando justa causa adest, adhuc licitum est uti restrictione, dum non sit purè mentalis: purè etenim mentalis est, quando tota oratio omnibus circumstantiis spectatis, prout exterius profertur absolutè est falsa, in mente tamen aliquid subintelligitur, per quod fieret vera: sed hoc nullo signo externo manifestatur, nec humano modo potest ab alio intelligi. Non purè mentalis est si per circumstantias, vel signum

aliquid exterius consignificetur id, quod habetur in mente. Hæc enim locutio cum restrictione non purè mentali non est mendax, nec falsa, siquidem ab audiente sagaci, & discreto potest percipi illius sensus; qui quidem sumendus est non solum ex nudis verbis, sed ex aliis adjunctis, inspectis loco tempore, tono, risu, non obligatione respondendi, & non jure interrogandi, munere, officio, & aliis. Sic Christus D. apud *Joan. 7. v. 8.* dixit: *Ego non ascendo ad diem festum istum, intelligendo, more solito, vel in publico.* Si quidem postea ascendit. Et *Marc. 13. v. 32.* dixit: *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque filius, intelligendo; ad revelandum.* Confessarius equidem, qui interrogatur de peccatis culpe respondet rectè, se nescire; quia nescit, ut homo, & utescit ad revelandum. *C. 2. de Offic. Ordin.* Sic Jacob dixit, esse primogenitum. *Genes. 29. v. 19.* intelligendo non de nativitate, sed de jure, quod quidem, primogenituram emendo, adquisierat. *C. 22. 22. q. 2.* Abraham dixit Pharaoni, Saram esse Sororem suam. *Genes. 20.* sumendo large nomen Sororis pro filia fratris. *C. 22. 22. q. 2.* Sic qui per jocum, vel ironiam aliquid falsum dicit, non mentitur. *C. 18. 22. q. 2.* Deinde quilibet justè occultat suum secretum verbis ambiguis, illudque licitè defendit ab importunis examinatioibus. *C. 2. D. 43. ibi: Quod si ingresserit se, & provocaverit nos dicere, quæ cum minus reddi agentem non oportet dicere, prudenter eum debemus eludere.* *Liv. de Juram. lib. 3. cap. 9. cap. 10. cap. 11. facit D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 3. Gutierr. Hurtad. & alii,* explicantes prædictas propositiones damnatas. In suma, quando restrictio purè mentalis est, ea non possumus uti: quia ut ait *Greg. in C. 11. 2. q. 5.* *Humane aures verba nostra talia judicant qualia foris sonant.* Sicut est de verbis ex se ambiguis, quæ aliquo signo externo quasi determinantur ad aliquid significandum, ita ut restrictio non sit purè mentalis, ut deducitur ex *L. 3. ff. de Reb. dub. ibi: In ambiguo sermone non utrumque dicimus, sed id dumtaxat, quod volumus.* itaque qui aliud dicit quam vult, neque id dicit quod vox significat, quia non vult, neque id, quod vult quia id non loquitur. Sic Deucalion intellexit ex adjunctis circumstantiis de projectione lapidum post tergum ad generis humani reparationem illud Themis oraculum: *Ossaque post terga magna jactate parvitas,* quod sic est in-

interpretatus: *Magna parens terra est: lapides in corpore terre, ossa reor divi: jacere hos post terga judemur.*

225. Juramentum comminatorium: v.g. *per Deum ego te caeam:* reducitur ad promissorium addita solum illa comminatione. *Execratorium, seu imperatorium ad assertorium reducitur, & ultra contestatorium, in quo solum Deus ut testis invocatur addit execrationem, qua Deus ut Juxda, & vindex invocatur.* *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. ad 3. & art. 6. in Corp. ibi: Duplex est juramentum, unum quidem, quod sit per simplicem contestationem, in quantum scilicet testimonium Dei invocatur: alius modus jurandi est per execrationem. Et in hoc juramento inducitur creatura aliqua, in qua Judicium Divinum execratur: Et sic solet homo jurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam rem, quam diligit sicut, & Apostolus juravit. 2. ad Cor. 1. dicens: Ego testem Deum invoco in animam meam. Quod autem Joseph per salutem Pharaonis juravit utroque modo intelligi potest: vel per modum execrationis, quasi salutem Pharaonis obligaverit Deo, vel per modum contestationis, quasi contestando veritatem Divinae Justitiæ ad cuius execrationem Principes terre constituuntur. Ex juramento transitum ad adjurationem faciemus: siquidem ab eo non longe distat. Et quidem non est agendum de adjuratione, quatenus dicit vehementiam, & firmitatem in juramento præstando, nec quatenus significat inducere ad jurandum, seu aliquid sub juramento postulare, ut assert *Greg. Nyssen. in Cantic.* circa illa verba, *C. 2. & 5.* *Adjuro vos filie Hierusalem:* sed quatenus est obstatio, sed imprecatio per sacram invocationem. Et in hoc sensu idem est adjurare, ac creaturam aliquam Divini nominis, aut alterius cujuspiam sacre rei interpositione impellere ad aliquid agendum, vel omitendum, quod *Græc. exorizare, Hispanè: Conjurat* dicitur teste *Nebrissensi.* In qua adjuratione tres interveniunt personæ, ut bene notat *Eximius Suarez,* scilicet adjurans, adjurata, & ea, per quam adjuratur: ut patet ex verbis Principis Sacerdotum ad Christum *D. Matth. 26.* *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.* Hæc profectò adjuratio potest fieri respectu Superioris, cum rogando, & respectu inferioris, ei imperando *D. Thom. 2. 2. q. 90. art. 1. in corp. ibi: Sicut autem homo se ipsum ordinare potest ad aliquid agendum, ita etiam & alios: Superiores quidem deprecando, inferiores au-**

tem imperando; cum ergo utraque ordinatio per aliquod Divinum confirmatio est adjuratio. Etiam *Doemones* adjurare possumus, juxta illud *Marc. ut. In nomine meo Demonia ejicient.* Duplex tamen adjurandi modus est. Unus quidem per modum deprecationis; vel indulgentiæ ob reverentiam alius sacri; alius per modum compulsiois: primo autem modo non licet demones adjurare: quia ille modus adjurandi videtur ad quandam benevolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet quæ demones uti. Secundo autem adjurationis modo, qui est per compulsioem, licet nobis ad aliquid uti, & ad aliquid non licet. Demones enim in cursu hujus vite nobis adversarii constituuntur: non autem eorum actus nostre dispositioni subduntur sed dispositioni Divinæ, & Sanctorum Angelorum: quia ut *August. dicit in 3. de Trinit. Spiritus desertor regitur per spiritum justum.* Possumus ergo demones adjurare per virtutem Divini nominis tanquam inimicos repellere, ne nobis nocent spirituatiliter, vel corporaliter secundum potestatem Divinam datam à Christo, secundum illud *Luc. 10.* *Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocerit.* Non tamen licitum est, eos adjurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam: nisi forte ex speciale instinctu, vel revelatione Divina aliqui sancti ad aliquos effectus demonum operatione utantur. Sicut legitur de Beato Jacobo, quod per demones fecit *Hermogenem* ad se adduci. Etiam irracionales creaturæ possunt adjurari: nam *Simon, & Judas* leguntur adjurasse dracones, & eis præcepisse, ut in desertum locum discederent. Nam operatio irrationalis creaturæ, non solum ipsi attribuitur, sed principaliter Deo, cujus dispositione omnia moventur: pertinet etiam ad diabolum, qui permissione Divina aliquibus irrationalibus creaturis utitur ad nocendum hominibus. Sic ergo adjuratio, qua quis utitur ad irracionalem creaturam, potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut adjuratio referatur ad ipsam irracionalem creaturam secundum se, & sic vanum esset irracionalem creaturam adjurare. Alio modo, ut referatur ad eum, à quo irracionalis creatura agitur, & movetur, & sic dupliciter adjuratur irracionalis creatura: uno quidem modo per modum deprecationis, ut Deum directè, quod pertinet ad eos, qui Divina invocatione miracula faciunt. Alio modo per modum compulsiois, quæ referatur ad diabolum, qui in-

documentum nostrum utitur irrationalibus creaturis. Et talis est modus adjurandi in Ecclesie exorcismis: per quos demonum potestas excluditur ab irrationalibus creaturis: adjurare autem demones ab eis auxilium implorando non licet. Sic Doctor Angelicus 2. 2. q. 90. art. 3. in corp. Et sic possunt adjurari demones, qui corpora energumidorum possident, vel etiam quando nos tentant, vel quando excitant tempestates, nubes, & ventos. Sic etiam locustæ, & alia animalia fructibus terræ nocentia adjurantur. Sic etiam adjurantur Manes, Lemures, & Spectra, quæ in aliquibus locis inveniuntur, & habitatores inquietant, & Hispanæ dicuntur *Duendes*, à *Trasgos*, Latè de adjuratione *Suar*, lib. 4. tom. 2. de *Relig. in trad. de Juram. Tonrebl. de Jur. spirit. Et Martin del Río Disquisition. Magic. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 42.*

## TIT. XXV.

## De Exceptionibus.

226 **E**xcipere aliquando significat colligere, absumere, capere, poemam pati, & alia, de quibus Grammatici. Aliquando, & quidem frequenter significat extrahere aliquem, vel aliquid; vel eximere à regula generali, & communi, vel ab universali Lege, seu præcepto: & in hoc sensu dicitur, quod *nulla regula est sine exceptione*. Et communiter hæc significatione utuntur Authores: Et in jure dicitur: *Quod exceptio debet esse de regula*. L. 4. §. fin. ff. de *Penu legat*. Et quod *exceptio firmat regulam in contrarium*. L. 20. §. 6. ff. *Qui testament*. Et quod ubi *exceptio non reperitur non est recedendum à regula*. L. 3. §. fin. de *Prævaricat. Barbos. in Axiomat. jur. axiom. 55*. In præsentem tamen, & apud Jurisperitos sumitur pro eo, quod est excludere, vel repellere: ac proinde exceptio est exclusio actionis: qua scilicet reus actionem, vel intentionem actoris penitus elidit, vel saltem retardat. L. 2. ff. h. t. & *com. DD*. Et in hoc sensu etiam appellatur præscriptio, & comprehendit omnem defensionem rei adversus actorem: Exceptiones etenim sunt velut arma reorum. Exceptio siquidem est velut clypeus, quo reus in bello forensi se defendit ab actionibus, quibus tanquam telis, & gladiis ab actore impetitur, faciuntque suo modo, quod de Dánaïs narrat *Virgilius*. *Clypeosque ad tela sinistris, prociis obijciunt*. Et hæc ratione quoad

substantiam exceptio est Juris Naturalis, quippe quæ in naturali æquitate fundatur, & ad justam defensionem, quæ aded unicuique naturalis est, deservit. L. 12. ff. de *Dol. mal. except*. Et hæc etiam ratione, nequit omnino tolli Jure Civili, arg. L. 8. ff. de *Reg. jur.* Sed quia ad Principem spectat in dubiis declarare, quando defensio sit legitima, ac per consequens determinare, quando admittenda, vel excludenda sit, hæc ratione potest dici exceptio esse Juris Civilis, & hoc modo potest tolli, & moderari ab ipso. C. 13. de *Offic. Deleg. L. 36. C. de Decurion. lib. 10. l. 1. tit. 21. lib. 4. R. C. Pichardo in Rubric. h. t. Instit. et n. 17*. Opposita à reo exceptione competit actori contra ipsam replicatio, quæ est, quasi exceptio exceptionis, siquidem intendit, exceptionem excludere, & elidere. L. 10. C. h. t. Et hæc replicatioe opposita ex parte actoris reo competit duplicatio ad excludendam replicationem: & contra duplicationem rursus actori datur triplicatio: quæ in diversis libellis suo ordine proponuntur, & ad acta rediguntur, ut de causæ justitia possit liquere. In nostra tamen Hispania ultra duplicationem non admittuntur alia exceptiones, nec audiuntur litigantes, ne in infinitum procedatur: debetque fieri replicatio ex parte actoris intra sex dies numerandos à responsione rei: & postea duplicatio ex parte rei debet fieri intra sex dies à die replicationis factæ. L. 2. tit. 5. lib. 4. R. C. l. 9. tit. 6. lib. 4. R. C. ibi: *Mandamos, que por evitar dilacion en los pleytos, que con cada dos escritos, que las Partes presentaren, sea avido el pleyto por concluso, aunque las Partes no concluyan: asi para Sentencia interlocutoria, à recibir à prueba, à para definitiva*.

227 Multipliciter solet exceptio dividi: Alia siquidem est facti, alia juris. Exceptio facti, seu intentionis est illa, per quam actoris intentio excluditur. Et hæc potius nomine generico dici solet *defensio*, quam exceptio: daturque contra actorem, quando ei nulla competit actio, & cum reus ipso jure non teneatur non indiget exceptione: v. g. si aliquis petat ex empto, vel ex mutuo aliquid, cum neque emptionem, nec mutuum celebraverit. Et hæc ratione diversum in jure consideratur, aliquem liberari ipso jure, & liberari ope exceptionis: hoc est, quod non aliter quis liberetur, quam exceptione opposita. L. 17. §. 1. & 2. ff. de *Patris*.

Sed

Sed licet hoc ita sit, saltem latè dicitur exceptio. Alia est *exceptio juris*, seu *adionis*, qua scilicet actio actoris eliditur: v. g. Si Titius metu vendidit equum Cajo, si hic ex empto ad traditionem agat, ejus actio excluditur opposita metus exceptione. Rursus exceptio alia est *nominata*, quæ scilicet, nomen specificum habet, ut juris jurandi, vel rei judicate. Alia est *innominata*, quæ cum nomine proprio careat. *Exceptio in factum* nuncupatur. L. 14. ff. h. t. sed etiamsi quis exceptionem nominatam habeat, non est necesse, quod ejus nomen in libello exprimat, sufficit enim, quod factum clarè proponatur, ex quo exceptio resultat. *Heria in Cur. Philip. p. 1. §. 15. n. 6*. Deinde exceptio dividitur in *personalem, realem, & mixtam*. *Personalis* est quæ personæ coheret, cujus quidem intuitu competit, neque ad hæredes, nec fidejussores transit. L. 7. ff. h. t. Talis est, quam Clericus habet ex *c. Oduardus 3. de Solution*. ut non teneatur ultra id, quod facere potest. *Realis* est, quæ coheret rei, vel causæ, ipsamque sequitur, transitque ad hæredes, successores, & fidejussores. L. 6. l. 7. §. 1. ff. h. t. l. 11. C. *ead.* Tales sunt exceptio rei judicate, doli, & metus, & similes. *Mixta* sunt, quæ non solum intuitu personæ dantur, sed etiam materia intuitu, ac fidejussoribus eorum, quibus dantur, etiam competunt: quippe ipsum debitum principale auferre videntur, sine quo fidejussio tantquam accessoria consistere nequit. L. 18. ff. de *Fidejussorib.* Tales sunt exceptio restitutionis in integrum, quæ minoribus viginti annis competit: Exceptio S. C. *Macedoniani*, qua filius mutuum sine consensu patris accipiens defenditur: Exceptio S. C. *Vellejani*, qua defenditur mulier, quæ fidejussit.

228 Denique, & præcipue exceptiones in *dilatatorias, & peremptorias* dividuntur. *Dilatatorie* etiam *temporales* dicuntur, (quia ad tempus actionem differunt) & etiam *emergentes*; & olim *translationes* appellabantur: Hujusmodi ergo *exceptiones sunt quæ tantum differunt ad tempus actionem, sed eam non tollunt, neque elidunt*. L. 3. ff. h. t. l. 9. tit. 3. p. 3. ibi: *Ponendo defensiones ante si, que son de tal natura, que aluengan el pleyto, è non lo rematan*. Inter has quidem exceptiones alia respiciunt totam causam, ut exceptio inepti, vel obscuri libelli, vel exceptio, malè agis, quia ante diem agis, vel quia dies conventus nondum advenit, vel quia non est purificata conditio. L. 9. tit. 3. p. 3. Tom. I.

*Heria in Cur. Philip. p. 1. §. 13. Paz in Praxi tom. 1. p. 1. temp. 5. con. 12*. vel plus petitionis, vel ne causæ continentia dividatur. Alia respiciunt Judicem, quatenus excipitur, quod sit incompetentis, vel quod sit ab alio præventus, & hæc pendet coram alio, vel quod sit suspectus, imperitus juris, vel quid simile. Alia respiciunt tempus, & locum judicis, quatenus excipitur, quod tempus sit seriatum, vel quod sit nimis breve, quod locus non sit tuus, aut honestus. L. 9. tit. 3. p. 3. Alia actorem, & ejus procuratorem respiciunt, quatenus excipitur, quod pupillus sine Tutore, minor sine Curatore, filius sine consensu patris, uxor sine licentia mariti, Procurator sine ullo mandato, vel sine sufficienti comparuerint in judicio. L. 9. tit. 3. p. 3. vel quod actor est excommunicatus. c. 12. h. t. Alia ipsum reum respiciunt, quatenus ipse excipiat, quod sit spoliatus, & per consequens non tenetur respondere antequam restitatur. *Peremptorie, seu perpetue sunt quæ jus actoris perimunt, & tollunt, & semper obstant agentibus*. L. 3. ff. h. t. l. fin. tit. 3. p. 3. ibi: *A estas defensiones llaman en latin peremptorias, que quiere tanto decir, como amparamiento, que remata el pleyto*. Et his alia ostendunt, actionem nunquam fuisse ortam, ut si quis excipiat, non emptum, non legatum, non donatum esse, quando alter ex empto, legato, vel donato agit. Alia intendunt, actionem, quæ competeat, extinctam esse, ac propterea dicuntur *litis finitæ*: Tales sunt exceptio rei judicate, præscriptionis, solutionis, compromissi, pacti de non petendo, transactiones, & alia similes: Alia supponunt, jus adversario competere, sed illud, quia inefficax per exceptionem elidi Tales sunt exceptiones metus, doli mali, erroris, & alia hujusmodi. L. 3. ff. h. t. Est insuper tertium genus exceptionum, quæ *anomale* dicuntur seu *mixte*, quia non imitantur aliarum naturam, posuntque opponi ante, & post litem contestatam. Paz in *Praxi*, tom. 1. p. 1. temp. 5. n. 83.

229 In judiciis non solum ille, qui potest agere potest etiam excipere. L. 156. §. 1. ff. de *Reg. jur.* Sed etiam cui non conceditur actio, conceditur exceptio, ut patet in excommunicato, qui cum non possit in judicio agere, excipere valet. c. 5. h. t. ibi: *Satis videtur absurdum, si actor impugnante, reo defensionis copia denegetur*. Et hæc ratione excommunicato conditur appellare, etiamsi ob causam, à qua appellat, sit excommunicatus. c. de *Res-*